



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Occupatio animae Jesu Christo crvcifixo devotae.**

**Leroy, François**

**Pragae, 1666**

§.3. Ejusdem sanctæ solitudinis dies tertia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47123)

micorum suorum scelere venditus, ab altero impie negatus, ab reliquis turpiter atque probrose derelictus, vix ad extremum dulcissimæ suæ Matris præsentiam, aliorumque paucorum, recreatus est. Si tamen recreatum hoc aspectu, & non potius oppressum censebimus: cum ea fuerit in Filio ac Matre studiorum affectuumque consensio, ea de corde in cor, tanquam in maris æstu, dolorum cruciatuumve repercussio ac reciprocatio; ut non tam ad solatium suum, quam ad majus amborum tormentum, eam voluerit juxta crucem assistere, & sibi adesse inter tot opprobria morienti. *Revera enim tunc, ô bone JESU (quæ Joannis Thauleri verba sunt) ex afflictione materni pectoris, novam crucem in te recepisti. Solus namque pondus & gravitatem dolorum ejus, hominibus universis incomprehensibilem, compassionis lance trutinasti. Et id quidem maximè exaggeravit cruciatus passionis tuæ, quòd non modò in corpore tuo, sed etiam in materno pectore crucifixus eras: quando & illius crux tua erat, & tua vicissim illius.*

*Explic: pass: c. 17.*

§. 3.

*Ejusdem sanctæ solitudinis dies tertia.*

Tertia dies mysticæ solitudinis est, non jam à creaturis tantum, sed etiam ab ipso Deo derelinqui; hoc est, privari omni interno gustu ac sensu spirituali, immo è diverso occupari tenebris & ariditate cordis: atque interim in mentis apice, consueta pace ac tranquillitate potiri; quin potius hanc ipsam sui desertionem amare, ex puro desiderio perfectæ conformitatis, sive cum divina voluntate, quam homo præferat cuicumque suo solatio, sive cum mœstissimo corde Christi, in summa siccitate & angustia inter crucis brachia derelicti.

Atque hoc demum est, quod quondam Moyses, minare gregem ad interiora deserti; hoc, intima cordis Christi penetrare: qui jam jam spiritum emissurus, super hac sui

*Exod: 3.*

Qq q

extre-



extrema derelictione suaviter appellabat Patrē: *Deus meus, Deus meus*, inquit, *ut quid dereliquisti me?* Venerat quippe jam in profundum solitudinis, non modò jam à rebus creatis omnibus, sed (quod quidem ad partem animæ inferiorē attinet) ab ipso Deo divinisq; solatijs destituta. Nam hæcenus se derelictum dicit à Patre, quòd immensò illi suppliciorum ac tormentorum acerbitati, eo volente, objectus sit, nullà interim in afflictam animam, ex beato divinitatis intuitu (quo mens ejus perenniter & imperurbatè fruebatur) redundante particula gaudij, quã (ut multis Sæctorum usuvenisse scimus inter cruciatus atrocissimos) mitigaretur saltem ex parte ac retunderetur sensus acerbissimi doloris. Itaque sanctissima & mitissima illa anima purum ac putum fel sorbebat passionum suarum, amaritudinem, inquam amarissimam, nullo vel humano vel divino solatio temperatam.

Grande desertum & vasta solitudo est in corde hominis ad eum modum derelicti: qui si nihilominus fidelis & constans in tentatione permanserit, nec de cruce descendens, ad vana solatia & infima sensuum oblectamenta se converterit, sed in omnibus divinum beneplacitum generosè ac promptè secutus fuerit, eiq; se perfectè conformaverit: is jam post trium dierum viam, verè sacrificat Domino in solitudine, semet ipsum in integrum holocaustum in altari cordis Christi offerens, nullam sui partem retinens, nullà re gustum suum querens, in nullo se ipsum sentiens: in quo consummata totius hominis abnegatio, & quædam animæ in Deum, ut ita dicam, resolutio consistit.

Hæc enim est illa suprema & beata paupertas spiritus; eum fundo animæ exinanito ab amore rerum univèrsarum quæ Deus non sunt, sola Divinitas replet omnes angulos cordis: ut proinde, si verum loquamur, nunquam minus sola sit anima, quàm cum sic sola est. Sed tamen sola est; quia



quia omnibus quæ de foris advenire possunt, exclusis, nihilominus (velut sponsa in lectulo suo per noctem dilectum, *Cant. 3.* querens) eum cuius amore cetera exclusit, non invenit: quippe qui se adesse dissimulet, consueta nimirum suæ præsentis argumenta subtrahens, illam tenebris, horrore, angore circumfusam relinquens.

Illa igitur anima Deo sacrificat in terra deserta, in loco horrore & vastæ solitudinis: quæ, etiam undique destituta ac desolata, omnem animi sui propensionem divino beneplacito planè subjicit: ita ut proinde ei sapiat divina bonitas, eamque juxta laudet & approbet, sive ipsam molliter, seu durè tractet, & sive in luce consolationis, sive in tenebris desolationis esse velit; quia nempe Deum purè & castè diligens, in ipso Deo nihil nisi Deum quatit.

Sed quoniam ea res summi momenti est in via spirituali, de ea nobis paulò uberius agendum est.

## CAPVT X.

### *Exercitij ejusdem ulterior declaratio.*

#### §. I.

*De duplici sapore Christi IESU; & quod summa virtutis in eo sit, ut etiam absq. spiritali dulcedine, afflictiones æquo animo toleremus.*

**S**anctus Bernardinus Senensis tomo 3. suorum operum. *Serm. 9. de*  
Hoc idem argumentum pertractans, cum illud posuisset: *B.V. a 3. c. 1.*  
Christum in se duo continere saporum genera, reliquorum saporum differentias contingentia; quorum primus est, sapor dulcoris; alter, sapor doloris seu amaritudinis: atque utrumque hunc gustum expertos, tum Beatissimam DEI Matrem, tum Vas electionis Paulum Apostolū; nec verò istius